



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XVIII. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Hermannus contractus sanitatem à Beatissima Virgine petens optionem accepit, vel hanc, vel sapientiam eligendi, hanc expetiit, & repente scientiarum omnium & linguarum veluti quædam universitas factus, Hymnos: *Salve Regina, & Alma Redemptoris*, composuit. *Ranbeck.* Utinam omnes sic utantur scientiis.

B. Hermanne ora pro me apud Deiparam, ut ea petam & obtineam, non quæ mihi, in causa propria cæco, & per domesticas cupiditates amoris proprii seducto arrident, sed Mariano honori, animæq; meæ saluti, ac beatæ æternitati meliùs conducunt. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibûsque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Hymnos à Beato Hermanno compositos hodie iterabo.

Non tantùm peccatum Virgo nullum commisit, sed etiam aliorum peccata delevit: non solum in se lucida fuit, sed etiam lucis radios ex se emisit; quia per eam mundus gratiæ lumen accepit. *Rich. de S. Viêt. in Can.*

Quæstio: An Deipara cum Christo corporaliter in Sanctissima Eucharistia præsentem collocuta sit? *v. Luis. Torres in selectis disp. 15. dub. 3.*